

DE
FESTO ORTHODOXIAE
SECUNDVM INSTITVTA
ECCLESIAE GRAECAE

DISSERIT



ET AD

AVDIENDAM ORATIONEM
DE VITA, FAMA AC MERITIS
THEOLOGI SVMMI

IO. GOTTLOB CARPZOVII

SACR. LITTER. DOCTORIS CELEBERRIMI ET
ECCLESIAE LVBECENSIVM PRAESVLIS EXCELLEN-
TER PROMERITI

HONORATISS. SCHOLAE INSPECTORES,
SACRATOS DEO MINISTROS, LITTERATOSQUE CVNCTOS

QVA FIERI POTEST OBSERVANTIA

INVITAT

CHRISTOPH. GOTTHELF STEMLERVS

A. M. ET SCH. RECT.



Panegyri dictus est dies

MDCCLXVII.

ALTENBURGI
LITTERIS RICHTERIANIS.



Q. D. B. V.



ot tantaque iam pridem festorum sollempniumque die-
rum in Romana Ecclesia, tam ingens numerus, in
vtraque ciuitate peperit incommoda, vt a vero diui-
noque cultu vix discerni queat superstitio; cum plu-
rimi sanctorum sanctarumque memorias, pro regio-
num varietate instituire, sollempnique ritu celebrare
confueverint, et nimium quantum ab origine sua de-
scedant, patrumque veterum de iis sententias plane
negligant. *Propterea enim*, inquit *HIERONYMVS*,

*dies aliqui constituti sunt, vt in vnum omnes pariter conuenirent, et e conspectu mutuo
et fides crescat et laetitia maior oriatur (a).* Tanto enim minus de vera in Deum
pietate, siliataque in ipsum fide cogitant; quanto plus ipsi inter eos prudentiores
iam dudum conquesti sint: eoque festorum auctum esse numerum, vt, qui
omnia peragere velit, per integrum huic annum, nihil prorsus agendum sit, quam
sepositis negotiis plus necessarius, otio atque ignauia transigere vitam. Quo libe-
ralior autem in constituendis eiusmodi diebus, notis et ignotis sanctis, rebusque aliis
dicatis fuit Romana (b), eo minus negligentior Graeca quoque sese exhibuit eccle-
sia, illius in formulis ritibusque externis tantum non omnibus sedula imitatrix.
Tanta enim diuorum martyrumque, vt putat, copia superbit, vt neque his con-
tenta, sed aliarum quoque rerum gestarum ad se pertinentium et ad posterios propa-
gandarum, quotannis recolere memoriam haud leuiores habere credit rationes,
quam Romana in condendo *corporis Christi festo*, videtur. Quo minus ergo hoc
in coetu Orthodoxiam, quibus prudens homo quaesiuert; eo certe plus mir-
abuntur

(a) *HIERON.* ad Scapula.

(b) Quam in nostrae Ecclesiae contumeliam, olim de *Incommodis Festorum* monerat li-
tem *ICtus* eel. *SAM. STRYCKIUS* edito
hac de re *Progr. Dissert. de iore Sabbathi
Inaug.* praescripto; eandem Ecclesiae Ro-
manae propemodum intulit Pontifex summus
BENEDICTVS XIII. emissis hanc ob
rem litteris publicis, quibus laudabili consi-
lio, grauissimum detrimentum et publicae
rei et saluti ciuium adferre, ingentem fes-
torum numerum pronuntiat, curatiusque de-
finit: quinam dies ex illis retinendi, quae
futuro tempore sint abrogandi. Ambabus,
vt aiunt, inanis, hoc ex utilitate pluri-
morum, in primis magistratum, receperunt
mandatum, multae quidem prouinciae
ipsum colentes; nec tamen paucae fuerunt,
qui prouidam Patris curam, vt ne supersti-
tiosis otis tempus perderetur, acrius repre-
henderent, publicaeque dubitarent: nun iu-

re sibi adroget potestatem, Ecclesiae prae-
cepta, et maiorum suorum decreta immu-
tandi? Parum enim abuisse constat, quin
Vindobonae a plebe excitata oriretur seditio,
qui parte sua voluptatis sese priuari suspica-
batur. Nihilominus tamen ab hac senten-
tia iterum decebat ipse, summus Eccle-
siae Rom. antistes, nouoque exemplo com-
probabat: nec Pontifices a contradicendi si-
bi periculo liberos esse ac immunes. Anno
enim huius saeculi *XLV.* Regis Lusitaniae
precibus adductus festorum numero addide-
rat nouum, *septem* nimirum *Gaudiis Ma-
riae* dicatum, et paullo ante, *A. XLIII.*
S. Petri memoriam, Romae octo diebus
sollemni ritu celebrare mandauerat. *Vid.*
*IO. IOSEPH. S. R. I. et com. TRAVT-
SON. Archiepisc. Vienn. Litteras Pass. 1752.*
4. Acta h. E. T. XI. p. 900. et *CHRIST.*
*GVIL. FRANC. WATCHII Comp. Hi-
storiae Eccl. recentiss. p. 69.*

rabuntur omnes, si *Orthodoxiae* tamen *Festum* inuenerint, quod reliquos inter sacros diesque sollempnes celebrare, illudque etiam *Orthodoxiae Dominicam* appellare consuevit. Quo vero ingenii acumine, morumque elegantia, quae occasione, a Graecis Theologis sollempnitas haec instituta sit, dignum mihi visum est curatius inuestigare, praesertim cum Romanam Ecclesiam, splendido hoc festo die, antecesset Graeci. Neque enim ab instituti mei ratione alienum quis putabit, cum Theologo *ἱεροδοξότατος* et de Ecclesia orthodoxa, si quisquam alius, longe meritissimo, iusta persoluere apud animum constituerim, neque temporis, in quo iamiam viuimus, illud dissuadere propositum videtur ratio, vbi faustissimum illum diem memoria recolimus, qui sacrae nostrae ciuitati, vere est, erique semper *Orthodoxiae Festum*, quo ob susceptam a diuo LUTHERO feliciter Ecclesiae Religionisque christianae emendationem, debitas, Deo o. m. gratias peragendas coire, dogmataque illa sacra a fordibus et squalore, quibus commaculata erant, repurgata, in memoriam reuocare solemus. Accedit praeterea, praeter b. IO. FR. BVD-DEVM (c) dilucidam huius festi Graecorum dedisse enarrationem, sed breuiter tantum et *ὡς ἐν παρόδῳ* eiusdem fecisse mentionem, sacrarum historiarum conditores, obuennisse nobis neminem (d).

In origines igitur huius festi Graecorum, tam splendido τῆς ἱεροδοξίας nomine insigniti, inquirentibus, rectius longe *ἱεροδοξίας*, turpissimaeque idololatriae memoriae referre, consentient nobiscum omnes, quibus funesta illa, et ad intercessionem vsque in Orientali ecclesia, de imaginum cultu agitata, haud prorsus incognita sunt certamina, quorum initia ad PHILIPP. BARDANIS tempora referenda esse statuo, qui sub *Saec. VIII.* primordia potiebatur rerum. Hic enim Patriarcha Iohanne DCCXII. sufflaminante, tabulam, in qua Concilium generale sextum depictum erat, e templi *S. Sophiae* porticu deuere curauerat, quia Monachis in eodem Concilio condemnatis, fauebat, legarisque Romam missis, imagines eiusmodi e templis exulare prorsus contendens. Quo facto, CONSTANTINVS Pontifex ita exandescerebat: vt non Edictum Imperatoris modo reuerteret, sed etiam Conciliorum generalium picturas sex in porticu *S. Petri* eleuari sineret, Imperatorem vero ipsum, in Concilio Romae conuocato, desertae religionis verae aduicaret, sacrisque propemodum interdiceret. Hoc anno sequente longe peius insequeretur fatum, Imperator enim priuabatur folio, ac summa miscebantur quidem imis, motibus vero his omnibus haud imponebatur finis. LEO enim ISAVRVS, A. DCCXVI. iniuriam hanc aegre ferens, omnes sanctorum imagines, excepta Christi in cruce acti, cultumque earum, penitus tolli et abrogari iubebat, et indigne hoc ferre cum videret GREGORIUM II. et III. Rom. Pontifices, indignatione plenus Imperator, A. DCCXXX. longe seuerius in imagines statuebat, ac comburere, ipsarumque cultores variis suppliciorum generibus adiciebat. Tantum autem abest, vt felicem harum concertationum posset consequi exitum, vt potius plitrium longe maiorum esset initium. In duas quippe partes diuisam nunc inter sese sacram cernebat rem publicam, quarum altera *Iconolatrarum*, seu Imagines adorantium, et *Iconoclastarum* altera, illasque frangentium, ferebat nomen, tantisque iniuriis, flagitiis ac caedibus erga sese inuicem furentibus, vt clades et damna ex aequo vix hodie a peritissimis describi et memoriae prodi possint, quum actorum monumenta, neque cum cura consignata, neque conseruata fuerint. Hoc attamen omni caret dubio, lites has etiam cum regimine in filium CONSTANTINVM, cui ignominiosum COPRONYMI, Iconolatrarum malitia imposuit nomen, deuolutas esse, discrimine tantum hoc obseruato; vt pater paullo moderatius hoc negotium tractasse videatur. Concilio enim DCCCIII. Constantinopoli coacto, conuocatisque quotquot reperiri poterant Episcopis, ex sententia quidem Imperatoris pronunciabant, et imagines missas proscriptasque volebant omnes; neque tamen hac ratione rabiem ac superstitionem plebis vincere haud poterant, quae vitam potius quam imaginum adorationem linqere decreuerat, quam vero ipse Imperator in his turbis deponere cogebatur.

Delata parentis morte ad filium LEONEM IV. rerum summa A. DCCCLXXV. III. Imperatoris quidem erat animus, lenitate magis ac mansuetudine, ad veri rectique studium perducere imaginum patronos, quam seueritate, qua auus et parens, reos sese fecisse arguebantur: at vero, nec hac, vilo modo eos flecti posse, quum intellexeret, tridem legibus seueris eorum erga eosdem studium coercere variasque in transgressores statuere tentabat poenas, quibus tamen omnibus, praeter sui ipsius exitum

a 2

(c) IO. FR. BVDDEVS Orat. de Festo *Orthodoxiae* in Eccl. Graeca celebrari solito, hab. Ienae in Panegyri doctorali 1726.

(d) Conf. IO. LAUR. de MOSHEIM Infl. H. C. Antiq. p. 581 A. et Rec. p. 340.

exitium, boni plane efficiebat nihil. Populi enim et Monachorum, quibus ad largas colligendas opes, adprime imagines conducebant, imo et perfidae vxoris IRENE, furorem, ita erga sese concitabat Imperator optimus, vt huius impietate, e viuentium numero tolleretur veneno, eoque extincto, imaginum cultores nunc incederent cothurnis, quam antea vterentur tantum facias. Quo ergo felicius scelerata mulier susciperet imaginum patrocinium, ac facilius tueretur, omnes ingenii eo intendebat neruus, vt filio CONSTANTINO impubere, reipublicae habenas eriperet, et ad se raperet, quocunque etiam ausu imperium suum stabiliret ac confirmaret. Hanc itaque ob causam, foedere cum HADRIANO, Romano antititite inito, Nicaeae in Bithynia A. DCCLXXXVI. coegebat Concilium, in quo omnes non modo Imperatorum de abrogando imaginum cultu debebantur leges, sed *ισωλατρεία* et crucis adoratio ita quoque stabiliebatur, nec leues illis dictarentur poenae, qui praeter Deum, nihil colendum adorandumque statuerent, ac in negantes haud aliter, quam in parricidas et proditores atrocissimi ingenii foemina saeuiebat, cui non satis erat enecasse maritum, sed etiam, vt sola et sine flagitiorum teste regnaret, ipsius filii necem procurare haud erubescerebat, ob vitam vero etiam turpitudinum plenissimam, dignas non multo post iubeat poenas, A. nimirum DCCCLII. imperio priuata, in exilium et insulam Lesbium mittebatur, vbi sequenti anno misera perijt morte. Nec alia concertationum harum erat conditio sub Imperatorum sequentium regimine. NICEPHORVS nimirum, MICHAEL CVROPALATA, LEO IV. seu ARMENVS, ac MICHAEL BALVS, omnes imaginum quidem cultum aduersabant, neque tamen minus erga ipsarum amicos praebebant sese acquissimos; quum vero lenitate hac abuteretur monachorum audacia, aliam induere faciem, imaginumque cultorum factionem seuerè admodum castigare coegebantur, ita vt THEOPHILVS duras admodum aduersus illos statueret leges, nec paucos ceteris animosiores imaginum defensores, vita priuare non dubitaret; quo vero ita quoque in illorum incurreret odium, vt extinguere potius Imperatorem concluderent, quam pati vt honori imaginibus ad hoc vsque tempus exhibito, quidpiam detraberetur. Quam ob rem THEODORAM, thori Imperatoris fociam adhibebant in consilium, quae, quum altera esset IRENE, eo sese facilius adigi patiebatur, vt maritus e viuentium numero tolleretur, quo amplior non ipsius tantum regnandi erat libido, sed quo grauior etiam videbatur iniuria, ab Imperatore sibi aliquando illata. Cum enim ingentem cum mercimoniis maritus Augustus adpelli videret nauem, admiratus eam, quaerebat: cuius esset? audiens vero ad conungem suam pertinere, quae merces eiusmodi e peregrinis regionibus, vt venundaret, aduehi curaret; ergo inquit, mercatorem mea me facit vxor, cum Imperator sim, igneque statim admoto, cum omnibus mercibus, iussit nauem cremare. Ad simulandum composita mulier, exandescens quidem animi motus celabat, ac viuente marito, ad nutum et voluntatem eius sese studebat componere, ac imaginum cultum detestari, ne maritum offenderet; eo autem sublato ad mentem Iconodulorum sese componere haud erubescerebat. Et quemadmodum varia hucusque certatum erat fortuna, ita nunc imperii penes filium THEOPHILI, MICHAELM III. admodum iuuenem, THEODORAMQUE matrem deuoluta administratione, maxima rerum contingebat mutatio, vbi ex sententia Imperatricis omnia gerebantur, imprimis cum THEODORAE mater THEODISTA, dedita superstitioni ad infaniam vsque foemina ab auunculis ipsius, MANVELE et THEODISTO, principem in aula et militia tenentibus locum, tutoribusque Imperatoris iuuenis, cuncta pro libidine rempublicam administrantibus, ad *iconomachos* opprimendos omni studio incitaretur. Nec ad fallendum deerant artes, et speciosa sanctitatis simulacra, quibus incauti, ad quodlibet credendum proclius animi, ficta inprimis miracula, decipi, et sexus sequior, ad superstitionem prae reliquis procliuior, seduci facile poterat. Versuta quidem et callida imperii tutrix THEODORA repugnasse aliquantisper religionique sibi dixisse perhibetur, a mariti exemplo vltimaque voluntate et sententia discedere: a praenominatis tamen imaginum patronis, adhibebantur tandem minae, quibus, quae in animo haecenus moliti erant, certissime effectum iri sibi persuadebant, et audacter satis pronuntiabant: nisi iconolatrarum amplecteretur partes, imperio fore priuataram. Cedebar ergo his minis in speciem veri adhibitis eo lubentius THEODORA, quo magis hanc iamiam in pectore aluerat sententiam, et ex voto *iconomachorum* concedebat omnia, quaecunque ab illis fieri iuberentur, nec intermittebat aduersus recte sentientes, cum illis cantare classicum.

Rebus

Rebus itaque sic male factis peractis, haud opus est coniectura, sed historia. IV. rum certis ac indubis edocemur monumentis, (e) quanta ignominia, quantisque conuitis et iniuriis, restituti in pristinum locum imaginum defensoris, quos remouerat THEOPHILVS, earum oppugnatores adfecerint. Non enim exilium tantum, sed longe grauiore poenae ipsos manebant, et in illorum contumeliam, imagines, prii ino, si diis placet, restituae nitore, in publicum triumphantis superstitionis documentum, vbiuis locorum circumferebantur. Quanta pompa, quantoque adparatu, hanc quasi victoriam, credulae et simplici plebi scire fecerint, excedit propemodum fidem, et vel inde cognosci potest; quod *Dominica sacrorum ieiuniorum prima*, et principes imaginum fautores, cum ingenti hominum multitudine conuenerint, quos inter et Imperator ipse μετὰ τῆς ἁγίας καὶ θεοδοῦσε μητρὸς conspiciebatur, vt graecus auctor (f) loquitur et a templo cum sacris imaginibus, pretiosaque cruce ac sancto Euangelio, euntes ad partes Palatii, quae Crenariae dicuntur, inter preces et litaniae cantum, et ab his ad sacram venerunt aedem, diuinam mysticamque celebraturi liturgiam, atque tum, inquit, auctor Narrationis historicae, non minus quam effulsae simplicitatis homo, *Augustus una cum venerabili ac sanctissimo Patriarcha, METHODIO, eiusque Collegis metropolitae, ac sanctis exercitatoribus, per id tempus sanxerunt, vt quotannis sancta haec et veneranda festiuitas, in magna Dei Ecclesia, prima ieiuniorum Dominica magnifice ac splendide celebraretur, quae et haec diuinæ bonitatis beneplacito ac gratia sollempnis agitur in gloriam ac laudem vniuersorum Dei ac Domini nostri Iesu Christi*, ac tandem hanc descriptionem finit, scribendo: eandem sollempnitatem ἑορτὴν τῆς Θεοδοῦσε esse nuncupatam. Nec alii ab hoc auctore dissentiant, qui res sub hoc Imperatore descriperunt, gestas; e quibus IO. CVROPALATAM, SYLVESTR. SGVROPVLYM, et CEDRENYM tantummodo nominasse sufficiat, qui τὴν τῆς Θεοδοῦσε πανήγυριν, et Κυριακὴν τῆς Θεοδοῦσε ἀπελλαν hanc festiuitatem, quae incidit in primam Quadragesimae Dominicam, eadem celebrari solitam. Alios praeterea si aduocemus huius rei testes, et ad Graecorum libros ecclesiasticos recurramus, seu rituales, eandem tibiam inflatam reperiemus (g). Typus certe sic dictus Sabae Cap. XLII. refert (h) Διατάξιν τῆς πρώτης κυριακῆς τῶν ἁγίων ημερῶν, ἧτοι τῆς θεοδοῦσε. h. e. *Dispositionem primae Dominicae sanctorum ieiuniorum, seu Orthodoxiae. GEORGIUS vero CODINVS (i) de Imperatoris pietatis differens officii, ita fatuit: ἀπέρχεται δὲ ἐς τὴν ἁγίαν σοφίαν καὶ κατὰ τὴν κυριακὴν τῆς θεοδοῦσε, i. e. Dominica Orthodoxiae abit (Imperator) ad S. Sophiae templum etc.*

Quam inique ergo ac proterue imaginum fecerint cultores, vt hunc diem V. Θεοδοῦσε nomine insigniuerint, et ratio docet et sacrae paginae omnes vberime testantur. Nec idololatriae, quicunque demum ille sit, censeri potest immunis, qui imagini cuidam desert cultum, quem Deus vni ac soli sibi referauit. Quamuis enim in his certaminibus ac rixis, illorum haud probemus sententiam, qui nec conspectum ferre volebant imaginum, easque prorsus tollendas reiiciendasque esse clamitabant, posthabitis omnibus prudentiae legibus; partiumque studio plurima in his bellis tribuenda esse non negemus; naris tamen paulo emunctioris viri huic superstitioni sese opposentes, perspiciebant facile, quorsum tandem res haec eausura sit; si quacunq; tantum ratione et modo in Ecclesiis reciperentur imagines. Nec sua sese fecellit opinio: turpissimam enim inde idololatriam et Orientalem quidem

a 3

(e) Prae reliquis Byzantinar. rerum scriptoribus, occurrit Anchor incertus, cuius extat Διήγησις διαλαμβάνουσα περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν ἐκόνων, καὶ ὅπως, καὶ ὅτι ἦν αἰτίαν παρελάβε τὴν Θεοδοῦσαν ἐτησίως τελεῖν, τὴ πρώτῃ κυριακῇ τῶν ἁγίων ημερῶν, ἢ ἁγίᾳ Θεῶ Ἐκκλησίᾳ, quem FRANCISC. COMBEFFISVS graece et lat. edidit in *authuario nouo Biblioth. PP. Gr. L. Tom. II. f. 716.*

(f) Idem ille Anonymus ap. COMBEFFIS. cum quo consentiunt IO. CVROPALATAM et SYLVESTR. SGVROPVLYS in *Hist. Concil. Florentini* Sect. XII. Cap. I. f. 330. nec non CEDRENYVS f. 539. GOLLAR. *Menolog. Monach. Gr. f. 527.* SIMON. LOGOTHETA f. 432. et CL. IO. IAC. REISKIUS in splendido opere CONSTAN-

TINI *Porphyr. de Aulae Byzant. officii Lib. I. C. 28. fol. 92.*

(g) Conf. LEO ALLATIUS de *Libris Ecl. Graecor.* p. 152. 159. et de *Dominici et hebdomadibus recentiorum Graecor.* operi eius de *Ecclesia Occidentali et Orientali. perpet. Consens.* subiuncta §. XIV. p. 1431.

(h) PHILOTHEI *Patriarch. Constantinop.* verba digna sunt, quae exhibeantur et Homilia in primam Quadr. vbi sub initium ita loquitur: Τῇ κυριακῇ ταύτῃ καὶ πρώτῃ τῶν ημερῶν ἢ τῆ χειρὸς ἐκκλησίᾳ ἐορτᾶζον παρελάβε τὴν θεοδοῦσαν ἧτοι τὴν ἀνασηλωσιν τῶν σεπτῶν καὶ ἁγίων ἐκόνων. ap. COMBEFFIS. l. c.

(i) Cuius verba recitat ALLATIUS l. c. p. 1435. 1499.

dem primum, non vero ita multo post Occidentalem, renitentibus licet initio ac strenue repugnantibus *Concilii Francofurtensis* patribus (*k*), ipsoque Imperatore CAROLO M. praecunte, inundasse Ecclesias, omnes illi norant, qui civitatis sacrae fata a limine tantum salutarunt, ut adeo haud opus sit istorum hominum temeritatem profligare verbosius, quam ab hoc ipso tempore suis partibus haud defuerint viri a partium studio alieni et verae Orthodoxiae studiosissimi, qui peruersum et a ratione longe remotum imaginum cultum, e coetu puriori eliminare et proscribere adnisi sunt (*l*). Dolendi adeoque magis sunt, qui nimia credulitate seduci, et diem, quae omni idololatriae aperta est ianua, splendido isto et ad fucum incautus faciendum comparato, *Ὁρθοδοξίας* nomine ornari, concedique, ut omnia ea, quae excogitari poterat, religione perageretur, imo hymnos (*m*) huic celebritati consentaneos componi et decantari sese passi sunt. Nec tamen hoc ipsum videri cuiquam poterit mirum, qui in memoriam sibi reuocauerit, cantilenis nihil esse aptius, peruersa in vulgus spargere dogmata audentibus; cum ex antiquis temporibus ARIVM, *Thalia* sua, ex recentioribus vero Comitem SINZENDORFIVM, eadem chorda oberrasse, et in sacro Christi coetu quam plurimas nec dum sedatas et compositas excitasse turbas, tam notum est, quam quod notissimum (*n*). Quo splendidior itaque et excellentior *Orthodoxiae* est appellatio, qua interdum insipientis artisque plane rudis ac vaser homo gloriatur, eo plus nobis annitendum esse arbitror, ne *Ὁρθοδοξίας* dignitate ac nomine abutamur. Id mihi quidem iam non fumo, ut, in quo consistat, quibus absolatur partibus, quae ratione definiri debeat *Orthodoxia*, demonstrem, quam vix vni alteriue satisfacere credam, et omnes prope modum, nec haereticis exceptis, *Orthodoxiam* in rebus fidei sibi fingunt et de eadem gloriantur, a qua tamen longe remotissimi inueniuntur. Hoc tamen silentio non prorsus inuoluendum esse iudico: *Orthodoxiam*, de qua nobis iam sermo est, ex adcurata SS. Interpretatione promanare, nec in dogmatibus sacris villo modo ab ea recedere, ac in connexionione articulorum, quos vocant, fundamentalium, tanquam partium praecipuarum versari, ad quas minus exstantium deinceps exigi debeat proportio. Recte igitur dixit, quicquid pronunciauerit: *Πρώτη ἀρετή ἡ ὀρθόδοξος γνώμη ἐστίν; h. e. prima virtus, sensus orthodoxus est*. Hic vero ad veritatis rationisque trutinam, omni seposito partium studio, ita conferri oportet, ut verum a falso, dignum ab indigno, feliciter discerni queat, quod haud adeo difficultati ratione procedet, si *ἐδὲν ἀπὲρ γραφῆς* receperit quiddam. Nec diffidentium praeter-

(*k*) In hoc Concilio, nisi ab CAROLO M. ipso, sub eius certe auctoritate et nomine *Capitulare* quoddam, *libris quatuor* absolutum, de non adorandis imaginibus, adversus CONSTANTINI VII. Imperatoris Constantinop. et IRENEIS matris decretum pariter ac *Synodum Nicaenam II.* concinnatum esse, nemini temere potest esse incognitum; Et quamvis Rom. Ecclesiae additū eius *αὐθεντικῶν* aut prorsus negent aut dubiam reddere solliciti sint; conatus tamen eorumdem vanos ac irritos esse demonstrant solide b. IO. GEORG. DORSCHEVVS, in *Collatione ad Concil. Francof. sess. II. c. II. p. 41*. Ipsum vero *Capitulare* edidit CH. AVG. HEYMANNVS in *Augustia Concilii Nicaeni Censura* S. CAROLI M. de impio imaginum cultu Lib. IV. 1731. 8.

(*l*) E quibus nominasse sufficiat b. nostrum MART. CHEMNITIVM, qui *Exam. Concil. Tridentin.* P. IV. fol. 703, ut omnia solet, solide constat, quem ex Reformatis laudendus est IO. DALLAEVS, libris IV. de *Imaginibus* Lugd. Bat. 1642. 4. ac palman reliquis eripiens FRID. SPANHEM. in hist. Imag. et quos b. CASP. SAGITTAR. et I. A. SCHMIDIVS Intro. in H. E. adlegant.

(*m*) Talem exhibet non modo ALLATIVS *Diff. de Libris Eccl. Graec. quas* IO. ALB. FABRICIVS vol. V. *Bibl. Graec.* subiungit p. 51. et GVIL. CAVE in *Diff. de eodem argumento, Historiae eiusdem Litter.*

Scriptor. Eccles. adnexa, sed et C. BARONIVS ad An. DCCCXLII. duos eius modi protulit hymnos, quorum alterum THEOPHANI *confessori* ascribit, cuius initium ex versione latina hoc est: *Exultanter hodie prae gaudio elamemus, scilicet: Quam mirabilia sunt opera tua, et quam magna, o Christe, potentia tua, qui nobis unionem et concordiam eis operatur*. Alterum vero THEODORO *studite* assignat, cuius primordia haec sunt: *Cantamus o fideles, tantum pro gratiarum actione vivueris pro Deo et benefactori, quoniam erexit corum salutis et potens imperium ad rectam fidem protegendam etc. etc.*

(*n*) De *Thalia* ARIL, vid. IO. ANDR. SCHMIDI et E. SAL. CYPRANI *Dissert. de modo propagandi Religionem per Carmina et Cantilenas*. SINZENDORFII vero audaciam in dissipandis eiusmodi cantionculis ab omni ratione remotis, scripturaeque f. et fidei Christianior. parum honorificis CARPZOVIVS noster diuis primus detexit et confutavit in der *Zeitigung des abgesonderten Volkes Gottes*, nebst einem Auszuge derrer *Jerzbücher aus dem herrnhuthischen Gesangbuche*, und in der *Verteidigung seiner über* Leu, XX. 16. 1739. herausgegebenen *Predigt* X. worinne zugleich die *Seete der märischen Brüder* genauer untersucht X. *Süßes* 1740. 4. et postro. in der *Historie der märischen Brüdergemeine*, Leipzig, 1741. 8.

praeterea est, doctoribus, viam ad hanc *Orthodoxiam* nobis monstrantibus, fidis, probis ac ingenio opus esse, ne nosmet ipsos decipiamus, dum soli omnia ex arte perficere nobis persuademus. Hanc enim sortem haud raro experti sunt illi, qui, quo magis ingenio et eruditione florebant, ceterosque credebant antecellere, sibi-que vel maxime sapere videbantur, eo grauiori lapsu in absونا quaeuis impia ac ridicula ruerе conspeximus, mentisque, qua sola se praestare putabant, imbecillitatem, quam maxime prodituri. Ex quibus facillime patefecit, sine sanctissimi Numinis munere, ipsiusque Spiritus beneficio, nobis *Orthodoxiae* cognitionem obtingere haud posse, qui propterea τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας audit, et nos εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν ἡδηγεῖν, sibi soli referuauit, ita, vt fallant maximopere fallanturque, qui aut naturae viribus, aut intellectus acumini, aut industriae suae, et exercitationi, omnia tribuere adsolent. Non quidem seruator mundi optimus ad aliorum exempla in fidei vitaeque prudenter instituendae rebus, nos ablegare voluit, sed ἀκολουθεῖτό μοι inquit, ideoque omnes *Orthodoxiam* genuinam amantes, ex mente discipulorum Christi cum PRUDENTIO sentiant: (o)

Sequimur tua dicta Redemptor!

nihil tamen minus et mortalium quoque exempla, ad hanc regulam composita, sequi haud negauit, quem in finem PAVLLVS, instinctu diuino, non inuile admonet Συμμιμηταὶ μὲ γίνεθε ἀδελφοί; et vix vllum reperietur a condito terrarum orbe temporis momentum, quo non prouidentissimum Numen, tales in Ecclesia sua excitauerit viros, ad quorum spectatam fidem, sanctamque vitam, et nostram quoque componere possimus ac debeamus, monente iterum PAVLLO. Μνημονεύετε τῶν ἡγαμένων, — μιμείθε τὴν πίσιν. Hodienum vero tales nobis non desce, quis prudens intelligensque rerum arbiter vnquam negabit?

Bene sapienterque PLINIVS iun. *stultissimum*, inquit (p), *credo, ad imitationem non optima quaeque proponere*, nec ego vanis auguror indicis, omnes mihi subsripturos fore, si b. IO. GOTTLB. CARPZOVIVM, S. Theol. Doctorem consummatissimum, Ecclesiarum et Scholarum Lubecenſium Praefulem dexterimum, ac de iis, non minus quam de vniuersa, qua puriorum est partium, Ecclesia eiusque *Orthodoxia* longe meritissimum, referam in exemplum. Vt enim de egregiis ipsis, circa coetus sibi concreditos, literarumque factarum augmentum nihil proferam meritis; ita certe reipublicae nostrae sacrae *Orthodoxia* tam alta in animo eius egerat radices, ipsique tam curae erat et cordi per omnem vitam, vt non solum a primis studiorum annis redderet hanc sibi admodum familiarem, sed etiam per totum vitae spatium nihil ipsi prius antiquiusque prorsus fuisse nihil certissime sciamus, quam *Orthodoxiam* et ore et scriptis collocare in tuto, consilii vigiliisue iuuare, ab insulibus hostium defendere, ac puram illibatam conseruare. Quod studium, contentionisque, praeter alias easque excellentissimas ingenii doctores haud fucata nimirum in Deum pietate, morum sanctimonia ac suauitate, aliorum commodis inferuendi promptitudine, beneuolo inprimis pauperum et a fortunae praesidiis destitutorum patrocinio, et in diiudicandis rebus sacris et ecclesiasticis dexteritate, non minus quam ab omni partium studio remoto animo, in sustinendis laboribus robore inuicto, cum suauissimo eloquii flumine, miraque in auditorum animos sese insinuante vi, in iisque defixos relinquente aculeos, humanissima erga superiores pariter atque inferiores consuetudine et consortio, ita erat coniunctum, vt inter eminentes sui ordinis viros, nostrae aetate celebratissimos, locum mereatur principem, cum ob has rationes, non maxime quod domi audiat non tantum optime, sed foras quoque et ἀπὸ τῶν ἑωσθεν (q) ob *Orthodoxiam* erudite, prudenter et candide custoditam laudem et gloriam plus simpliciter vice reportauerit, ac diuina rarissimaque ipsi contigerit felicitas, vt inter Evangelico-Lutheranae Ecclesiae Doctores Theologiae hodie viuentes iam pridem salutat

(o) *Cathem*. X. 165.

(p) *Libr. I. Ep.* 5.

(q) GALLORVM ac imprimis LOIOLAE fodalium vid. in *Memoir, de Trevoux* Feur. 1719. ANGLORVM, *Bibl. German.* Tom. III. qui et Criticae suae sac. P. III a MOSE MARCO Iudaeo conuerso et L.L. Orient. Prof. Oxon. in linguam anglicanam transponere curarunt. BETAORVM vero de eo iudicia in *Republyck der Geleerden*, Sept.

et Octobr. 1723. inuenies, et qui plura cupit, vid. *Acta Erud.* 1728. p. 529. *Fortgesetzte Samml.* 1723 p. 1065. *Hamburg. Anszüge* Th. IV. n. 4. COLERI *Theol. Bibl.* Th. XXXII. n. 1. et praee ceteris I. FR. REIMANNI *Catal. Bibl. Syll.* p. 261. cuius de CARPZOVII *Introd.* in L.L. BIBL. v. T. haec sunt verba: ita tractantur res in hoc libro, vt, si hoc vno duce instructus fueris, reliquis omnibus huius metalli, facile possis carere.

lutatus sit SENIOR. Poste vero quam sibi, suis meritis, suaeque dignitati et gloriae quidem, non vero illustribus Reip. Lubecensis Patribus, nec curae suae commissis Ecclesiis, nec laborum factorum focis, nec genti clarissimae, nec nobis tandem diu vixerat facis, octauum enim supra octagesimum propemodum attigerat annum, ἰσχυρότατος hic σπάρτης a militante ad coelestem Dei ciuitatem progressus est, inter angelicae praecona, sempiternum nunc *Orthodoxiae Festum* celebraturus. Abiit ergo a nobis longissime, vt cum ferali pompa fatis honorifica, et qua dignissime clatus est, memoriam ipsius in Saxonia obliuioni tradamus; vt potius, quae Ecclesiis, quae academiae Lipsiensis, quae nobis inprimis exhibuerit ornamenta, eo gratiori obseruantiorique recolamus mente, quo amplius eius patent argumenti sacri labores; latiusque sese diffundit nominis celebritas, ac vterius sese protendit nostra erga diuum hunc virum pietas, quam vt cum ipso iam sepulchro et alta obrutam obliuione recordationem sinamus. Quod itaque pietatis officium CYPRIANO, PONTIVS eius Diaconus, quod AVGVSTINO, POSSIDIVS, eius discipulus, et quod b. ipse CARPZOVIIVS, diuo D. IO. CHRISTIANO BVCKIO, factorum in aula Regio Electorali Saxonica antistiti primario (r) exsoluerunt, vt fragilitati humanae ereptorum in Ecclesiam merita, exemplumque coetui relicto vniuerso sollempni parentalium ritu et laudatione funebri celebrarent; id mei quoque officii pietatisque erga tanti viri manes esse intellexi; quam ob rem apud animum constitui, virtutes ipsius et quae Deus in ipsum excellentissima bona contulit, publica oratione depraeedicare.

Omnes igitur, qui CARPZOVIANO nomini ac meritis bene cupiunt, rogamus, et per aeternitatem victura Theologi eminentis ac summi monumenta obsecramus, vt statuto die, audita hora VIII. matutina, in schola nostra conueniant, ac *de vita, fama et meritis diui CARPZOVI* differenti, fauentes mihi facilesque praebeant aures. Nec est quod dubitemus, quin votis nostris annuant et comprobaturi sint, quam grata ipsis sit CARPZOVIIV memoriam, et quantum scripta gentemque eius nobiscum suspiciant. Quo vero etiam, si hoc beneficio nos ornauerint, magnam certe gratiam a nobis inturos fore promittimus. PP. Doebelae d. 1. Nov. MDCCLXVII.

(r) Orat. haec Parentalis dicta est Lips. in Aede Paulina MDCCLXXIV. d. X. Cal.

Septembr. et Orat. S. adnexa est, quae cod. anno prodit Dresd. in fol.



Hi
2689

DE
FESTO ORTHODOXIAE
SECUNDVM INSTITVTA
ECCLESIAE GRAECAE

DISSERIT



ET AD

AVDIENDAM ORATIONEM
DE VITA, FAMA AC MERITIS
THEOLOGI SVMMI

IO. GOTTLob CARPZOVII

SACR. LITTER. DOCTORIS CELEBERRIMI ET
ECCLESIAR. LVBECEVSIVM PRAESVLIS EXCELLEN-

TER PROMERITI

RATISS. SCHOLAE INSPECTORES,
CO MINISTROS, LITTERATOSQVE CVNCTOS
QVA FIERI POTEST OBSERVANTIA

INVITAT

RISTOPH. GOTTHELF STEMLERVS

A. M. ET SCH. RECT.



Panegyri dictus est dies

MDCCLXVII.

ALTENBURGI
LITTERIS RICHTERIANIS.

